



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Ordo Ac Caerimoniae Synodi, Celebratae in absentia Reverendissimae ac
Illustrissimae Suae Celsitudinis, 2 Martii, anno MDCLV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

O R D O A C C Æ R I M O N I Æ
S Y N O D I,

Celebratæ in absentia

Reverendissimæ ac Illustrissimæ Suae Celsitudinis,

2 Martii, anno M D C L V.



ET denuo etiam pro hac vice Illustrissima Sua Celsitudo, variis & gravissimis, præter omnem spem, præpedita ingruentibus occupationibus, quantumcunque illibenter per Commissarios Synodum hanc Vernalem curare celebrari coacta fuit.

Circa ceremonialia omnia observata ut in antecedentibus, & Pontificali Romano descriptum.

Præsidebant huic Synodo, Illustrissimi nomine, D. Præpositus, Decanus Cathedralis Ecclesiæ & Officialis, juxta Illustrissimi literas, ut in præcedentibus Synodis.

Comparuît Clerus satis frequens, præter religiosos exemptos, qui magnam partem emanferunt juxta catalogum; & diligenter ferè omnes præsentés communicarunt. Pro concione dixit P. Casparus Schmidt S. I. Concionator Cathedralis Ecclesiæ Osna-brugensis Ordinarius; quæ finitâ, prælecta decreta generalia in omnibus Synodis prælegi solita, & confirmati ante hac nominati Examinatores, Iudices causarum Apostolicarum, Censor librorum. Ad decretum de oratione publica facta fuit mentio inter defunctos S. M. Domini Innocentii Papæ X, cujus memoria sit in benedictione, & loco Pontificis Maximi commendatum fuit precibus sacrum Cardinalium collegium, ut pro novo Capite eligendo uberem à Deo gratiam consequatur. Ad decretum de professione fidei emisserunt eandem, ut & juramentum Pastorale Frater Placidus Messinger Professus in Iburg ratione Pastoratus Glanenſis, & Ioan-

nes Lake ratione Pastoratus Vestrupensis. Et cum vacaret Camerariatus Gronebergenſis, pro illo designatus est D. Licentiatuſ Brogberſ, Pastor in Rimsloe. Decreta pro hac vice nova nulla sunt publicata, ob speratum aduentum Illustrissimi, ideoque etiam litteræ Pastorales pro hac vice non venerunt, cum Sua Celsitudo omnino proposuerit personaliter huic Synodo interesse; quandoquidem vero publicis Imperii & Episcopatus sui Ratisbonensis negotiis adhuc impediretur, ejus desideratus & exoptatus reditus precibus singulorum commendatus fuit.

Et quia à nonnullis dubitatum fuit quando festum Annuntiationis B. M. V. utpote incidens in septimanam sanctam, celebrandum sit, declaratum fuit, ex antiqua hujus diocesis observatione, tam in choro quam in foro celebrandum Sabbatho ante diem Palmarum.

Quandoquidem etiam DD. Præsides moniti fuerunt, in locis hæreticis negligi, imo omnino aboleri memoriam Patronorum, & dedicationis Ecclesiarum, mandatum fuit vicinis Parochis, quorum curæ ejusmodi Parochiæ commisse sunt, ut super his se informant, atque ad consistorium Episcopale transcribant.

Sub finem, D. Officialis breviter omnes & singulos graviter comone fecit sui officii, ut adveniēti Illustrissimo, ac tandem etiam supervenienti Deo, de ovili sibi commisso respondere possint.

Tandem cum solita gratiarum actione, & benedictione Synodus dimissa; & indicta sequens feria tertia post festum S. Remigii, quæ erit quinta Octobris.

ET quia ego CHRISTIANUS BROCHMAN, Pastor in Wahlenhorst, à supramemoratis Reverendissimi & Illustrissimi Domini Episcopi Deputatis in Actuarium hujus sacre Synodi deputatus fui, & omnibus in ea pertractatis interfui, idcirco in fidem eorundem, propria manu subscripsi: Acta sunt hæc anno à partu Virginico M D C L V, Sede vacante, diebus, mense, & loco quibus supra; præsentibus venerabilibus ac eruditis Dominis Antonio Sollinger & Nicolao Schabergh, Cathedralis Ecclesiæ Osna-brugensis Vicariis, ac respectivè Sacristano & Notario publico, testibus ad hoc specialiter requisitis & fide dignis.

CHRISTIANVS BROCHMAN, Pastor in Wahlenhorst, & Actuarius causarum Ecclesiasticarum, ad hoc specialiter deputatus, subscripsit.